

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **De Fidei Formvlarvm Praecipve Avgvstanae Confessionis Ivstitia Et Vsv**

**Bernhold, Johann Balthasar  
Schifflin, Johann Sigismund**

**Altorfii, [1730]**

§VII.

[urn:nbn:de:bsz:31-67824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67824)

alterum & abusus & corruptelas negabat. Vtrumque hucusque reputabatur Romanae Ecclesiae communionis particeps. Vtrique ex aequo distribuebatur ius sententiam suam dicendi, probandi, & aduersam partem e S. Scriptura erroris conuincendi; & caussa nondum erat perorata, multo minus iudicata; insigni itaque iniuria nostris *Confessoribus* infame haereticorum nomen impingitur, qui erroris nondum conuicti & damnati erant. Partem potius nostram *ueram tum constituisse Ecclesiam*, uel inde maxime elucescit, quod uoci Christi sui Scripturae S. nimirum, unice & constantissime attenderint, ad eam sua & dicta & scripta composuerint, erroresque refutauerint.

§. VII.

Scriptum.

Ab hac *uera Ecclesia* edebatur scriptum de sua religione. IOHANNES ELECTOR SAXONIAE ad Wittebergenses Theologos: LVTHERVM, IONAM, BVGENHAGIVM (*Pomeranum*) & PHILIPPVM dat litteras; [*quas lege in CHYTRAEO p. 42. seq.*] quibus iubet, ut in communem [*quod bene ex litteris notes uelim.*] Imperii statuum repurgatam doctrinam amplexorum usum & commodum, capita fidei praecipua & controuersa scripto explicent; paruit LVTHERVS cum sociis, articulosque XVII, quos antea anno XXIX ante Suobacensem conuentum ipsemet construxerat, communi iam habito consilio denuo probauit, immutatis, additis & demtis paucis tantum uerbis; qui dein a loco in quo ELECTORI exhibebantur nomen TORGAVIENSIVM articulorum sunt sortiti; [*Conf. ELIAS FRICKIUS l. c. p. 960. seq. & I. C. FVNCKIUS p. 245. seq. & 268. item B. IANI Disp. De Articulis Suobacensibus A.C. Fundamento.*] PHIL. MELANCHTHONI id postea negotii iniunctum fuit, ut ad morem latinae Ecclesiae in conciliis praesertim obuium, inque usum doctorum & exterorum, quibus germanica non legebantur Saxonicarum imprimis Ecclesiarum, doctrinam latino, quo plurimum pollebat stilo, eiusque confessionem iusto ad Caesarem scripto

scripto comprehenderet. Quo officio ante quam AVGVSTAM uenit iam defungi coepit. Sed postquam in urbe commorabatur, euenerunt multa, quae prolixius de religionis diffidiis efflagitarunt scriptum, & quod *Meinay*, qua MELANCHTHON insignis erat, maxime prae se ferret. Ampliavit scriptum MELANCHTHON, & ecclesiasticae concordiae, quantum poterat, attemperauit. Sed tamen summam doctrinae, ordinemque articulorum TORGAVIENSIVM maxime sequutus fuit. Confessionis exemplum ipsum bina uice, primum die XI. dein XXIV. die Maii LVTHERO ut id reuideret, examinaret, et, si opus & adderet & demeret, COBURGYM transmissum fuit. [uid. COELISTINVS p. 40. seq. CHYTRAEVS 44. 57. 62.] quod a LVTHERO approbatum [COELISTINVS p. 40. 6. CHYTRAEVS p. 6.] caeterisque Theologis receptum [FVNCKIUS p. 286.] tandemque XXIII. die Iunii germanicum absque dubio exemplum in confessu Euangelicorum Ordinum recitatum, communem omnium consensum obtinuit. [COELESTINVS p. 113. B. FVNCKIUS p. 287.] eique subscripserunt *Euangelici Status, tam suo, filiorum fratrum cognatorum & agnatorum quam communi subditorum nomine*; [uid. laudatam KOELERI *Disp. §. V.*] non itaque id scriptum unius alteriusue theologi, sed omnium Euangelicorum statuum & regionum suarum confessionem, complectebatur. [Conf. GE. PONTANI *in uectius in Melanchthonem uerba in der nothwendigen Vertbeidigung des Aug. Apffels. p. 354. coll. KOELERI Disp. §. XXI. p. 32.*]

§. VIII.

Publicum itaque erat scriptum. Complectebatur enim Publicum. doctrinam quae in templis scholisque publice personabat; publica Euangelicorum statuum autoritate componebatur; illorum, totiusque Ecclesiae nomine in comitiis publice coram Caesare & in corona Imperii Procerum eorumque deputatorum praelegebatur; a CAROLO V. denique utrumque exemplum latinum et germanicum clementissime acceptabatur,